



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Prima Adventvs, Evangelium Matth. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA

PRIMA ADVENTVS, EVAN
gelium Matth. 21.



ET CUM APPROPIN-
quassent Hierosolymis, &
uenissent Berphage ad mon-
tem Oliuarum, tunc Iesus
misit duos discipulos, dicēs:

Ite in castellum, quod contra uos est, &
statim inuenietis asinam alligatā, & pul-
lum cum ea, soluite & adducite mihi. Et
si quis uobis aliquid dixerit, dicite: Do-
minus opus habet, & confestim emittet
eos. Hoc autem totum factum est, ut ad-
impleretur quod dictum est per Prophe-
tam dicentem: *Racha. 9*
Dicite filie Sion, Ecce rex
tuus uenit tibi mansuetus, sedens super
asinam, & pullum filium subiugalis.

Euntes autem discipuli, fecerunt sicut
præceperat illis Iesus: Et adduxerunt asi-
nam & pullum, & imposuerunt super

B eos

DOMINICA I

eos uestimenta sua, & eum super illam collocauerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij uerò cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia. Porro turbæ quæ præcedebant & sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna filio David, Benedictus qui uenit in nomine Domini, hosanna in altissimis.

¶ Quatuor sunt præcipui loci huius Euangelij.

- I Pompa ingressus.
- II Quale sit regnum Christi.
- III Qui sint ueri cultus in eo regno.
- IIII Pompa triumphalis est pictura ecclesie.

PRIMVS.

Testimonium exhibitum Messie.
POMPA ingressus est publicum testimonium exhibitum Messie, qui promissus fuerat. Voluit enim Deus esse multiplicia testimonia exhibitæ promissionis, ad confirmandos pios, & refutandos impios. sicut initio angeli, pastores, Elisabeth, Zacharias, Ioannes Baptista, fuerunt testes. & accesserunt miracula ipsius Christi, & sonuit uox Dei de coelo: Hic est filius meus dilectus. Ita habet Euangelium

Math. 3.

Luce. 3.

lium

ADVENTVS.

2

trum sua testimonia, non est ignotum, tametsi res il-
le non ita geruntur in conspectu omnium, ut res
Alexandri aut Iulij.

SECUNDVS.

Regnu

QVALE sit regnum Messie, describitur
in dicto Zacharie. Ecce rex tuus uenit ti-
bi iustus, saluator, & pauper, sedens super
asinam &c. Sed tota concio apud Zachariam inueni-
da est, que docet regnum Christi non fore politiam
mundanans, Non erunt, inquit, deinceps in Israel equi,
quadriga, arcus belli. Hec descriptio, sicut constat,
significat regnum Christi non fore mundanum im-
perium, sed spirituale regnum, quod etsi in hac carne
inchoatur, tamen post resurrectionem magis conspi-
citur, & perficietur. Et hec descriptiones ad totum
regnum, inchoatum & futurum referenda sunt. Et
quidem nominatim de morte Messie & modo libe-
rationis concionatur. In sanguine testamenti tui,
educes uinctos de lacu, id est, Messias suo sanguine,
quo confirmabit testamentum & pactum uite eter-
nae, educet uinctos de lacu, id est, mortuos liberabit a
captiuitate mortis & peccati. Ideo hic ait: Veniet
pauper, id est, non ut uictor mundanus, sed ut crucem
subiturus.

Messie

Zach. 9

Regnu

chrj no

e mu da

nu, m pe

riu, sed

spu te re

gnum

Proph

na de

morte

Messie

Prodest autem hec testimonia Prophetarum
tenere, non solum contra Iudeos, sed etiam contra
B 2 nostros

DOMINICA I.

*Præcipuum
beneficium
Christi, quod
delevit,
peccatum sua
morte.*

nostros **Hypocritas**, qui non rectè intelligunt regnum **Christi**, non norunt præcipuum beneficium esse, quod delevit peccatum sua morte, quod est factus uictima pro nobis. Non norunt hoc apprehendendum esse fide, non norunt hac fide uinci peccatum & mortem, & sic inchoari regnum **Christi** in hac uita, & simul carnem subijci cruci & mortificationi. Interim homines phanatici falso imaginantur regnum **Christi** aut esse politiam pontificiam, aut politiam **Cynicam**, qualis est **Anabaptistica**.

TERTIVS.

*Præcipuum
cultus.*

1

11

QVANDO didicimus quale sit regnum **Christi**, & quæ sint eius beneficia, addendum est, qui sint proprii cultus in eo regno: Hi quoq; proponuntur in hoc triumpho. **Præcipuus** est uera agnitio huius saluatoris, & fides, qua credimus eum factum esse uictimam pro nostris peccatis &c. **Sicut Ioannes** inquit: **Omnis** qui credit in filium, habet uitam æternam. **Secundus** est hanc ipsam doctrinam celebrare & confiteri, sicut hic pij addunt faustas preces ex **Psalms**, & fatentur hunc esse **Messiani**. **Benedictus** qui uenit in nomine **Domini**, id est: **Hic rex** à **Deo** missus est **benedictus**, id est, diligitur, adiuuatur à **Deo**, magnas res geret, liberabit populum ab æternis malis. **Hosianna** filio **David**, id est, salutem

salutem, prosperitatem, successus impertiat **D**eus filio
David, **D**eus adsit, gubernet eius certamina. **E**st au-
 tem hic quoq; totus **P**salmus animo intuentus, qui
 & ipse describit hoc regnum **C**hristi. **D**einde reliqui
 cultus sunt, exuere uestes, id est, in professione fortu-
 nam & corpus in discrimen adducere. **I**tem, conferre
 uestes, id est, fortunas, ad iuuandum ministerium,
Item, offerre **C**hristo palmam & oleam, id est, agno-
 scere eum ducem, non facere contra uoluntatem eius,
 nec seruire regno **D**iaboli.

111

QVARTVS.

PICTURA pompæ triumphalis est imago
 ecclesiæ omnium temporum. **S**emper hæc quæ
 tuor persone in ecclesia considerandæ sunt.
Christus, **A**postoli, **a**uditores & **a**duersarij. **C**hristus
 est agnoscendus rex & saluator. **H**ic insidet asinæ &
 pullo, id est, populo legis, & gentibus indomitis, qui
 sine lege uixerunt, ueri ministri, propheta, apostoli
 & alij pij, doctores adducunt auditores, & imponunt
Christum. **P**opulus pius canit **C**hristo, id est, confite-
 tur eum, substernit uestes, iuuat ministerium, offert
 palmas, id est, fatetur esse uictorem, & profitetur se
 quoq; subiturum esse certamina, fiducia huius uicto-
 ris, & tamen huic palmas offert, agnoscit se uincere
 per istum, & huius auxilio, **O**ffert oleas, id est, peti-
 t

4. perso-
 nar semp
 in ecclia.

DOMINICA I.

ab eo pacem, & fatetur esse autorem aeternae pacis cum Deo. Sic enim olim triumphantes reges excipiebantur. Per palmas tribuebatur eis laus uictoriae, Oleae significabant uictos pacem petere.

Substernere uestes.
Offerre palmas.
Offerre oleas.

Iam meminimus nos quoque in hoc coetu esse, **S**ubsternere uestes, cum iuuamus ministerium, aut uenimus in periculum propter confessionem; offerimus palmas, cum labores & certamina subimus spectantia ad gloriam Christi. Sic studia piorum sunt palmae. Offerimus oleas, cum praedicamus & pacis autorem, & ipsi ueram pacem ecclesiae adiuuamus, retinemus, &c.

Aduersarij.

Pontifices autem & pharisaei ardentes odio Christi & indignantes, ustant cum sic excipi. Tales sunt semper Hypocritae aduersantes euangelio. Quare non deterreamur ab euangelio, propter iudicia Pontificum & Pharisaeorum. Sciamus ecclesiam semper in talibus certaminibus uersari. E contra etiam cogitanda est contraria pictura Pontificum sese imponentium tergo populi, id est, anteferentium impios & idololatricos cultus mandatis Dei. Item conculantium Christum & membra eius. Habent autem & impij, qui oleas & palmas, id est, assentationes impijs Pontificibus offerunt; **f**alsae uero iaciunt in Christum. Has imagines oculis proponamus, ut nos de discrimine uerae & falsa ecclesiae admoneant, & agnitio

ADVENTVS.

4

agnitionem Christi & ueros cultus exuscitent, & confirment aduersus scandala, hoc est, potentiam & auctoritatem aduersariorum.

DOMINICA SECUNDA AD-
uentus, Euangeliū Luc. 21.

De signis.

ERVNT SIGNA IN SOLE ET luna & stellis, & in terris anxietas gentium per desperationem, resonante mari & fluctu, extabescentibus hominibus præ timore & expectatione eorum, quæ superuenient orbi terrarum, Nam uirtutes cœlorum mouebuntur, Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate & gloria magna. His autem fieri incipientibus, suspirate & attollite capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficum & omnes arbores, cum protrudunt iam gemmas, cernentes, ex uobis ipsis scitis, quod iam instet æstas. Ita & uos, cum uideritis hæc fieri, scitote quod instet regnum

B 4 Dei